

(A2046487)

Z h  
6182

EPITHALAMIA

*In solennem nuptiarum festivitatem*

Viri Amplissimi Prudentissimi

DN.

SAMUELIS HELLERI,

Quæsturæ Seydensis præfecti dignissimi

SPONSI

ET

*Lectissima honestissimæq; Virginis*

ANNÆ,

*Viri conspicui & integerrimi*

Dn. MICHAELIS FRANCI, Grana-

rii Saxonici, quod est Leucopetræ

Quæstoris FILIÆ SPONSÆ

*d. IX. Junij M. DC. XII. Leucopetræ  
celebratam.*

Scripta à

*Consanguineis & amicis.*

1918

VVITTEBERGÆ

1724

Typis Johannis Gormanni.



BIBLIOTHECA  
MINICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (MAGDEB.)





ἔυχὴ Γαμηλιῆ.

**H**ELLERE, Aonidum & Themidos fidissime  
cultor,

Clarijs replete donis ingenū atria;  
Qualia pro vestris nunc vota precantia tædis  
Solvam, susurro me referre optas levi.

Nil aliud, verso quàm quod fert ordine nomen:

VEL MAS, VEL ANNA, Cynthiæ post cornua  
Dena, beet vestras frugali foenore tædas;

Sponsum patrem, Sponsamq; matrem appellitet.  
Hæc precor; His pondus nitidis DEVS addat in astris,  
Me, teque, spes neu lancinet vana, inita.

ἡδίασι F.

à

M. Leonh. Rechtenbachio Past. ac Superintend.  
Leucopetræo.



Ad SAMUELEM HELLERUM, Sponsum.

**D**ignus cantari, melioris carmine Vatis,  
Votaq; succincto ferre Hymeneja pede,  
Ob varias causas, ego nec, concredita Nato,  
Sumere in insuetas cogerer, arma, manus.  
Sed succisvâ, quantum de pluribus, horâ  
Surripui, tantum te stimulante, dabo.  
Vota feram, scio vota valent, Amaryllida cunctus  
Personet: In votis sint sita metra senis.  
Qua gemina soboli tali in statione repostæ  
Optarem, hæc tædis sint rata vota tuis.

A 2

NON

*Non pater in natos Theseus, neq̄ sanguinis expers,  
Qua fundit, gnaro numine, vota fluunt.  
Ergo tuo thalamo, sic spirent prospera cepto,  
Ceu cupio soboli prospera cuncta mea.  
Conjugium felix, proles tibi plurima, vita  
Longaevis, dies, sit sine lite domus.  
Fortiter, ut certo fiat, TRIAS alma juvabit  
Et rata perficiet sint mea vota. SATIS.*

M. Petrus Horn Cos. VVeissenf. septuagenarius F.

---

**D**ELITIO Joachimus eras HELLER E valore,  
VVURTZENÆ fulvus crede, Ducatus eras.  
Tantus enim tenuit nymphas tunc credulus error  
Te emturum dicto munere velle parem.  
Ast nihil. In vanum spes excidit illa puellis,  
Nulla putativum, Corpore, munus habet.  
Donec permutans OBULUS sis rursus, & illo  
Merx tibi præ reliquis Leucopetræa datur.  
Felices tales, precio quis talia vili,  
Contigit in propriam ducere posse domum  
Merx OBULO tibi quæ pervenit FRANCIA, SEIDAM  
Hæc pariens OBULOS sæpe, Ducatus erit.  
Grator SPONSE tibi Sponsam, tibi sponsa vicissim  
Sponsum; Quæ nuptis sint bona, Christe dabis.

*Paulus Reinhold. Phil. & Med. D. ordin.  
Phys. VVeiss.*

---

**M**agna precum vis est, & magna potentia. Vincit  
Precatio DEVM pia.

*Vincit,*

Vincit, & assequitur, quodcumq; in Nomine IESU  
 Rogaveris DEVM Patrem.  
 Ergo, dum celebras socij, SPONSE, Optime SPONSE.  
 Mellita lecti gaudia,  
 Ut sub felici decurrant sidere capta,  
 Iesu rogabimus Patrem:  
 Alme Pater, Pater alme, sacri qui fœderis Auçtor,  
 Coniunge Sponsum & Sponsulam  
 Et pietate, fideq; pares, & mutuo amore,  
 Torumq; sospita diu.  
 Prole domumq; bea simili Matrig; Patriq;  
 Te Prosperante nil Cacus.  
 Hæc rata quo fiant, cum SPONSA SPONSVS AMATA  
 Precati unculas suas  
 Addant hisce meis. Sic possumus astra movere.  
 Vnita vis est fortior.

M. Justinus Bertuch, Scholæ Portensis  
 Rector F.



FLOS, Hellere, hominum eruditiorum  
 Salve à Steinbesio, malo poëta:  
 Qui nil dat lepidum, nihil venustum,  
 Nil quod vivere vel placere possit.  
 Quare hæc dum legis exigisq; sume  
 A mente æstimium mei, haud lepore,  
 Mentem præferimus bonam lepori.  
 Hoc cerrè ille pido licet libello  
 Toto pectore & omnibus medullis  
 Mens mi prætrepidans avet deserto  
 Gratari tibi conjugale fœdus:  
 Quo non crediderim vetustius quid;

A 3

Quo



Quo nil eloquar esse sanctius quid ,  
Acceptumque magis DEO Triuno.  
Non vitæ genus est magis beatum.  
Et cur non tibi gratularer ? Ipse  
Felix ingenio es , pudore castus  
Blandus mundicie , integerque vitæ:  
Fontes Aonidum sacros bibisti,  
Ut fixisse putem tuo cerebro  
Sedem Pieridesve Gratia sue.  
Inprimis tibi veritas Olympi  
Perspecta est sine vanitate terræ.  
Rectum qui videt , invidetque curuo,  
Illi lux animi est , quisque mentis:  
Illum blanda Dei gubernat aura.  
Queis furtum Veneris sua est voluptas  
Implorent Venerem Cupidinemque:  
Mercator prece Lucrium fatiget:  
Plaudat Martis amans patri Gradivo:  
Placent æquora remiges prophani:  
Et te Castor eques vocet gemelle.  
At votis onero meis IEHOVAM:  
Conatus regat istuos , thoroque  
Clemens prospera fata largiatut,  
Quem nunc ingreditur venusta Virgo,  
Castis moribus , elegante vultu,  
Et donis speciosa mentis , ANNA,  
Ingens virginæ decus catervæ.  
Hic nostros etenim Deus labores  
Si non ipse regit juvatque clemens,  
Tunc res in nihilum cadit ruitque.  
Ille est petra pijs , columna , murus,  
Humani generis parens , piorum

222

Spes, ex cordeq; fervido profectas  
Exauditi facilis precatationes,  
Præsto est atque suo favore cæptis.  
Ergo dum thalamo tibi jugali  
Virgo, Hellere, datur, pudica conjunx:  
Qui primus socium duos cubile,  
Ut prolem generent, tenere jussit:  
Adsit conjugio tuo benignus,  
Et quicumque piè geres secundet.  
Cum nuptâ pariles alas ancores:  
Sit lectus placidus, sit absque rixa.  
Et qui Pieridum decus Dearum,  
Ac leges Canonesque rite calles,  
Cum Sponsâ videas dies Sibyllæ,  
Et fias pater antequam meabit  
Velox per duodena signa Phœbus.

*AUTOGRAPHI deproperabat*

M. Andreas Steinbeis Pastor ac Superintendens  
Sidonensis.

---

*Votum in Neogamos.*

**Q**ui DEVS, est primus socialis federis auctor,  
Corda q; vincto uno vivere bina jubet.  
Idem animos vestros sacro perfundat amore,  
Et mentes geminas copulet atq; manus.  
Faxit vos neq; lis neq; vis desturbet amantes,  
Sed semper constans sit maneatq; fides.  
Det dulces nati nascantur, detq; nepotes  
Multiplices vobis; prabeat omne bonum.  
Hac precor ex animo, qui prasens esse maritis  
Christe soles, votum pondus habere sinas.  
M. Antonius Thörmerus, Ecclesiæ VVeissen-  
felsensis. Diaconus.

**U**T dulces fructus fert vitis tempore iusto  
Qui lassos animos exhilarare queunt:  
Sic hominum fleat mirâ dulcedine sensus  
Intemerata Vxor, candida, casta, pia.  
Hinc verè dixit Salomon: qui conjuge gaudet  
Casta, hic à Domino maxima dona capit  
Iam cum te Sponsam, generis commendet honestas  
Et mentis pietas, ac socialis amor.  
Et quia doctarum sectatus castra Sororum  
Nonne labore tuo præmia parta refers?  
Anna tibi sacras en jam jungetur ad aras  
Anna puellaris flosq; decusq; chori.  
Hæc spes multorum fuit invidiosa procorum  
Sed tu, non alio, hoc igne calere cupis  
Cur quæris? faciunt oculi hoc quibus ignea cedunt  
Sidera, qui flammæ causa fuere tuæ  
Purpurei hoc faciunt crines, & eburnea cervix,  
Quæq; dabunt circum mox tua colla manus  
Quid? Veneris formam, mores Iunonis adepta est,  
Ingens & roseo splendet ab ore decor.  
Quam decorant animi probitas, laudataq; virtus,  
Et rara insigni cum pietate fides.  
Ergo age chare Deo gaude, charissime Sponse  
Sponsa quod A N N A tuos gaudet inire thoros  
Et tu chara Deo gaude castissima Sponsa  
In thalamos S A M U E L quod parat ire tuos  
O nimium felix, imo felicior omni  
Virgine, quæ tali jungeris A N N A Viro  
Contulit huic, quæcunq; solent ornare maritos,  
Omnia, munifici dextra benigna Dei.  
Aspice quàm magnâ vultum gravitate serenet  
Aspice quàm lepidos, proferat ore, jocos

Si spe-



Si spectes formam, formosus: munera mentis  
 Si Spectes, prudens, justus, honestus erit  
 Si spectes genus & titulos & nomen avorum  
 Leucopetræ in magno semper honore manent  
 Ergo precor: thalami rata sint pia vincula vestri  
 Sit vester felix, & sine labe, torus  
 Vivite concordēs, & vestrum discite munus,  
 Duret ad extremos hic amor usq; dies.  
 Sponsa ita cum Sponso sociales impleat annos  
 Hoc nisi quò nullo Coniuge digna fiet  
 ANNA tibi SAMUELI apponat Nestoris annos  
 Reddat & annosum te ANNA virago Virum  
 Annuat æthereo Christus de vertice Coeli  
 Et jubeat nostras pondus habere preces.

*M. Martinus am Ende pastor Ecclesie Christi,  
 qua colligitur Oenavia.*



AD SPONSUM

PRÆ tristi nequeo quia rerum sorte mearum  
 Acclamare tuo Carmina letatoro;  
 Concipiam saltem tacito sub pectore vota,  
 Sicq; humili IOVAM sollicitabo prece:  
 Da DEVS alme novis sponsis sit ut una voluntas,  
 Vna fides, unum cor, sit & unus amor.  
 Sit soboles illis, sit rerum copia dives,  
 Sit pax, sint vitæ tempora longa bone.  
 Hæc & plura pijs quæso concede maritis  
 Qui solus tribuis prospera quæq; DEVS.

*M. Andreas Ungibauer Rector Scholæ VVeissenfelsensis.*

B

O dies



O dies lætus, niveo lapillo  
Dignus! & suavi Cytharæ canoræ,  
Quem sono Nymphæ decorent subinde  
Voceq; grata.

Nam Tibi Virgo datur uxor ANNA,  
Vna de multis face nuptiali  
Digna, de multis, Neonymphæ doctæ,  
Sponsa petita.

Ergo dilectam, nove Sponse Sponsam  
Accipe, & doctum, nova Sponsa Sponsum:  
Vos enim jungunt, benè copulantq;  
Numina sancta.

Tu fave Sponsis Lachesis novellis,  
Nec priùs filum Dea dura rumpe  
Quàm senis vivant Pilij, gravisq;  
Nestoris annos.

Sed fave Sponsis potiùs novellis  
Christe, qui vitæ unicuique tempus  
Destinas, multis validasq; vires  
Adijcis annis.

Da brevi prolem videant tenellam,  
Nasciturosq; hac videant nepotes,  
Qui senectuti facili & quietæ  
Dulce levamen.

*M. VVolfgangus Gunther Pastor  
in Møgla.*

*Votum*

VOTUM.

**F**oedus amicitiae non mundi sanctius ullum est,  
 Quam duo si thalamo corcula jungit amor.  
 Communes animi, corpus commune duobus:  
 Cura, labor, lacryma: gaudia, vita, lepor.  
 Hic amor officijs alitur, crescitq; subinde:  
 Mutua conjugibus vulnera figit amor.  
 Si tamen asperitas quadam miscetur amori:  
 Hic animum vincas cum ratione tuum.  
 Non saxum saxo, sed molli solvitur unda;  
 Lenibus asperitas vincitur obsequiis.

**CHRISTE** fave; placeat fac Sponso Sponsula; Sponsa  
 Sponsus, at haec sit eis cura placere DEO.

**CHRISTE** fave Sponsis, ut amor sit firmus utrisq;  
 Constet pace domus, divite prole tborus.

Hac precor, haec sine quo nil felix, praeses & autor  
 Conjugij faxit sint rata vota DEVS.

Amoris, honoris & moris ergo exarabat.  
 Andreas Ottonis Pastor Ecclesiae  
 Lübsdorpbiana.



**O**rnate, Musæ, floribus aureis  
 Calles viarum: spargite baccare,  
 Tellurem, odoratiq; floris  
 Gramine littoreâq; myrto:  
 Nam suaviter jam murmure cornuum  
 Stringuntur aures: jam dare buccinae  
 Vocem strepentes: jam canora  
 Pletra sonare mihi videntur.  
 Aedes sacratas Sponsus adit DEO,  
 Virtus cuncti nobilis it comes,

B 2

Chorisq;



<sup>u</sup> Choristq; doctan<sup>viii</sup>im<sup>iiii</sup> sororum  
Insequitur comitante Phœbo.  
Magnos videre, en, jam videor mihi  
Virtutis omnes dotibus inclytos,  
Præstante doctrina eruditos,  
Consilioq; viros celebres.  
Mox præeuntes excipit ordines  
Venustiorum cum grege virginum  
Movetq; gressus Sponsa, cervæ  
Grata per arva vagantis instar.  
Hellere gaude, jam approperat Venus  
Offertq; formosam tibi virginem  
Solatium vitæ, thoriq;  
Consociam jubet esse casti.  
Capis decoram, Sponse, puellulam  
Collo nivem ardenti Scythicam, rosas  
Pictas labellis, & lacertis  
Candida quæ superat ligustra.  
Hanc Iova pompam, hæc foedera conjugum  
Sacro secundet numine cælitùs  
Rerumq; cunctarum petitas  
Fundat opes Cereale cornu  
Posthæc arenas suggerit aureas  
Quotquot Tagus: quot fluctibus inclutus  
Albis tumet, nobis & Hybla  
Quod gerit alma thymos fragranteis,  
Tot faustiores partibus omnibus  
Horas, dies, menses, precor à DEO  
Auctore, qui dixit maritis:  
**CRESCITE MULTIPLICAMINIq;**

*Distichon*

25.

*Distichon Annum, Diem, Mensem, nuptiarum,*  
*item nomina vesperarum continens.*

**O**ceano Vt noVies Jvnl LVX feCerat oriVs  
Iô SaMVeLIs oVans Anna CVbILe CVpIt.  
M. Martinus Heineccius, Diaconus Eccle-  
siae Seydanæ.

---

**D**ulcere vis SPONSAM? nec miror Sponse  
sapisti.

Sponsa virum agnoscet te? mihi & illa sapit.  
Plus sapiens, Sponsam nove Sponse colendo petitam,  
Sique eadem faciet Sponsa, ea plus sapiet.  
Haud quæras cur? Concordem Deus auget amorem:  
Hoc si comperies, ecquid ego augur ero?

M. Esaias Bussinus Delitianus  
S. S. Theol. Stud.

---

**I**am quæstoris opus felici sydere tractas,  
Insignem hunc reditum dum tibi Sponse legis.  
Scilicet hinc partus, hinc fructus, quæque penates  
Cumque beare solent, divite sorte fluent.  
Tu modo vassallus (de quo nihil ambigo) feudi  
Hujus, ut edixit primitus hoc SENIOR  
Sic fidus: fidei res exsuperantis & illa est:  
Perfidia, atque fide, statq;, ruitq; thorus  
Quæ Sponso, Sponsæq; novæ sint certa futura,  
Cognita utriq; satis Calliopea vovet.

M. Johannes Habn.

Ad Spon-

AD SPONSUM.

**O**Mnia dum florent, dum formosissimus annus  
Ferre sacra est Cypriæ fasq; bonumq; Dex.  
Victima quæsitæ est: hanc, tu Dialis, ad aras  
Præmissâ mactes, nocte silente, prece.  
Mactè bonis avibus macta; far spargito sacrum,  
Junoni noctes si dederis vigiles.

*M. Martinus Hahn.*

**L**audatur variis à dotibus incluta **FRANCUM**  
Terra, sub Herculeæ climate postæ feræ.  
Suppeditat saporum letissima dona Lyæi,  
Quæ Latiam cotem vincere sæpè solent.  
Hortos quid memorem cultos, quibus illa superba?  
Nutrit Acidaliæ munera grata **DEÆ**.  
Nobilis eximio semper, celebrisq; Poetâ.  
Sacra igitur Phœbo, Thyrsifero, & Paphiæ.  
Ergo prudenter factum probo, **SPONSE**, quod optas,  
De gente hæc thalamum constituisse tuum.  
Multa tibi veniunt jucunda hinc. Namq; Lycum  
**FRANCIGENUM**, quoties basiat, illa dabit.  
In suspi-

*In suspiratos, quoties sua brachia jactat,  
 Amplexus Venerem praestat agitq; DEAM.  
 Et celebrem faciet parvo te tempore Vatem.  
 Miraris? faciet Pædopoëta cluas.  
 Fælix quem faciunt, uno, tot dona, beatum  
 Corpore, ut accipiat, Vina, metra, & Venerem.  
 Ergo ob FRANCIGENAM, tibi felicissima,  
 SPONSAM,  
 Grator. Habes voti debita signa mei.*

Johannes Hornius VV. P. L.  
 & Not. Cæs. F.

---

**U**Nde cupidineas traxisti, casta favillas,  
 ANNA, velut nuper quæ monialis eras?  
 Nam nulli visa est nostrum, latitare solebas,  
 Ceu solet in clausâ, cochlea tarda, domo.  
 Nusquam proripiens, quam cum te, sacra, monebat  
 Visere, cor sapiens, & pietatis amor.  
 Nunc autem sequeris juvenem, mutata, tenellum.  
 Dic mihi qui potuit lædere corda puer?

An po.

An potis est, sacras, telis attingere, nymphas?  
Experior; sacris mixte Cupido volas.  
Ergò si sanctis miscentur spicula amoris,  
Quis juvenùm à tantis libera corda feret?  
Pectoribus vestris, subito qui fixus amoris  
Affectus, dive numine, crede, fuit.  
Jova, diu sartum tectumque, quod esse volebat,  
Conservet; tædis plurima dona ferat.

*Casparus Albrecht / Not. Pub. & ab actis ju-  
dicij Civitatis Leucopetrae.*

---

**Q**uestoris tibi questori dum filia nubit,  
Hanc puto rem dignam laudibus eximijs.  
Scilicet HELLERO stabili conjungitur ANNA  
FRANKIA connubio, casta, pudica, pia.  
O benè par junctum! DEVS horum pectora ne&at  
Vnanimi vinclo, sint ut amore pares.  
Hoc precor ex animo vobis, atq; insuper addo  
Votis, ut semper mutuus urat amor.

F.

Jodocus Schrôner Saltzensis.

Empha-





EMPHATICA LUTHERI Germanica  
Gen. 24.

Sie rieffen der Rebecca vnd sprachen zu  
ihr / Wiltu mit diesem Manne ziehen?  
Sie antwortet / Ja / Ich wil  
mit ihm.

**S***I quid ego reliquis valeo superaddere votis,  
Sit tua, mi Frater, Sponsa REBECCA precor:*

*Quae, cum grandævi perceperat ora parentis,  
CUM SOCIO TALI NUM VELIT  
IRE VIRO,*

*Annuit, Et nutu menti arridere notavit,  
Quae tulit oblatis cognita sparta viri.*

*Scilicet accinctam sese ad nova fœdera casti, I.  
Casti, quo surgunt mystica summa, thori.*

*( Nam VIR missus erat per inhospita pronubus  
arua,*

*Vt Sponsam Domino quæreret arte suo.)  
C Se prom-*

Etis ju-



NA

L.

ne&at

zensis.

Empha-



Se promptā monitis adhibere salubribus aures, 21  
Conjugis & miti pectore jussa sequi.

( Nam quæ sita patris, VISne? inter summa  
notabant

Pectoris obsequium, quo beat uxor herum.)

Se fore reginam famulis, noctesq, diesq, 3.  
Procuraturam, ne cadat, arte domum.

( Nam VIR SERVUS erat circumdatus un-  
dique mulis,

Et, quibus insignis gens Chananea, bonis.

Quares inditio, se non ad pauperis Iri,  
Sed benè ditati conjugis arva peti.)

Se non fortunæ comitem, sed ubique marito 4.  
Affore, seu bona sit, seu tonet aura, suo.

( Nam vox patris erat, VISne IRE? quod  
aspera sacro

Codice fortunæ nubila sæpè notat.)

Quin se oblituram patris, patrieq, beata, 5.  
Dulce & jucundum sit licet illa solum.

Et complexuram peregrinis suaviter oris,  
Qui sibi conjugij moverit igne faces.

( Nam

228.

(Nam procul à patrijs habitabat Sponsus aratris,  
Ceu sita longè alio est Vandala SIDA polo.  
Ergo si votis Divinum flexero Numen,  
Ut tua, mi Frater, sponsa Rebecca siet,  
Me fecisse satis sperabo, jugalibus atq;  
Nunc optasse sacris commoda multa tuis.

Ex sincero & verè fraterno animo f.

M. Marcus Hellerus Pastor in Stösen,  
Sponsi frater.

FINIS.



FINIS

Dom. 7b 6182

QK

VOT

EPITHA  
*In solennem nuptia*  
 Viri Amplissim  
 DN  
**SAMUELIS**  
 Quæsturæ Seydensis  
 SPO  
 E 2  
*Leetissima honest*  
**ANN**  
*Viri conspicui*  
**Dn. MICHAELIS**  
 rii Saxonici, quoc  
 Quæstoris FILI  
*d.IX. Junij M. DC*  
*celebrat*  
 Script  
*Consanguineis*  
 1928 VVITTE  
 Typis Johannis



b  
 182

